



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCLXXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Leonem, Landvlfvm Et  
Landonem. Vt Auxentii filium ab Attinulfo captum, patri restituendum  
current.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

## EPISTOLA CCLXXXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LEONEM, LANDVLFVM ET LANDONEM.

Vt Auxentii filium ab Attinulfo captum, patri  
restituendum current.*Leoni episcopo Teanensi, item Landulfo episcopo, & Landoni  
Gastaldo patri eius.*

**A**VDITV certiori comperimus, quod filium Auxentii Capuani, nostrum dumtaxat proprium hominem, Attinulfus caperet, & non bene tractans eum violenter teneret; quod admodum admiramur: & quod tale quid præsumpferit agere, moleste quippe accepimus. Vnde vobis nostri apostolatus literis iniungere dignum duximus, vt omnem operam detis, & ex nostra parte ipsi Attinulfo tamdiu insistatis, quoisque eumdem Auxentii filium, hominem scilicet nostrum, patri suo saluum restituat, & cum suis hominibus reddat illæsum. Alioquin sententiam nostram euadere non poterit, qui nostrum hominem tam simpliciter ambulantem affligere non contempsit. Vos tamen rogamus, tam strenue agite, vt vobis gratias referamus, & maiora vobis committere inuitemur.

## EPISTOLA CCXC.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD LVDOVICVM ET CAROLOMANNVM  
R E G E S.Gratias agit de ipsorum erga Romanam ecclesiam  
affectione, & mutuum studium  
pollicetur.*Dilectissimis filiis Hludouico & Carolomanno gloriofissimis  
regibus.*

**A**VDITA per venerabilem episcopum deuotione vestrâ, quam circa sanctam Romanam ecclesiam habere, totoque conamine exercere cupitis, maximas Deo & vobis gratias agimus. Vnde a nostra parte vos certos existere volumus, quia sicut dominus Carolus diuæ memorie impe-